accendatur, ad nidorem serpentes illico omnes et scorpiones aufugiunt. Valere autem Rutam advers. venena quæ habet jam olim creditum vel unico hoc quod referam hujus exemplo: Cum Clearchus Tyrannus cives violenter interimeret multisque cicutam bibendam ex improviso dare coepisset nullus postea civium domo prius exibat, quam rutam comedisset. Pythagoras quidem putavit, rutam nocere oculis sed falso testatur siquidem Experientia, quod illa utantur Sculptores et pictores visus acuendi causa: Cum pane quoque Sylvestres homines et rustici ruta vescuntur, ut acuant oculos. Perhibentur multi etiam rutæ succo, quem cum melle Attico miscuere, discussisse oculorum caliginem: unde Dioscorides recte scribit, quod oculos reddat clariores vel plane juxta Scholæ Salernitanæ versum:

Nobilis est Ruta, quia lumina reddit acuta.
Auxilio Rutæ vir quippe videbis acute.

Lenit quoque juxta Plinium dolores Capitis ac Dentium pota cum vino. Rutam item facere astutiam i.e. apprehensionem facilem et inventionem alicujus medii in causa subtili ferunt. Calefacit n. et siccat, qua utraque quidem facultate, qua pollet ruta omnino Spiritus attenuantur et acuuntur, foveatur et illustratur ingenium. O ruta ruta, quis te jam non albis quod ajunt equis vehi dignissimam esse putaret? quis non nobilissimam plantam te judicaret? quis tuam non satis jam agnosceret nobilitatem, utilitatem, pretiositatem, qua paucis commutanda es cum gemmis. Quæ cum ita sint, Conveniens utique Emblema est Ruta quam strenæ loco humillime tibi Domine Serenissime Elect. Sax. offero. Etenim ut taceam insignia tua, quæ præ se rutam in corolla viridem ferunt, meritoque ansam offerendi Rutam præberent, potius vis ac facultas Rutæ, quam advers. habet Venena, dudum me movit, ad strenam de hoc genere plantarum offerendam. Tibi proinde Princeps Serenissime, tibi Pater Patriæ indulgentissime Rutam semper virentem subjectissimo animo consecratam volo in Choro ut per universam Misniæ et Lusatiæ nostræ Ecclesiam quæ plus habet doloris quam coloris, plus crucis quam lucis plus fellis quam mellis omne expellatur venenum Hæreseos ac Schismatum, adeoque sarta tecta conservetur religio quam e fontibus Israëlis limpidissimis hanstam nobis Majores nostri per filios ac nepotes tradidere, quam et antiquissimi Patres ac Doctores Ecclesiæ literarum monumentis comprobarunt, quam pia mater Ecclesia suo gremio semper fovit, quam ministri Ecclesiæ in suggestibus hodiernum promulgant vitaque exemplo commendant. Esto et Ruta tibi Optime Pater Patriæ in Choro sacra, ut conserventur a te porro Scholæ bonarum artium ac disciplinarum officinæ honestatis ac virtutum domicilia, utque per te omnia avertantur, quæ tam docentium quam discentium labores impedire, conatus retardare solent. Et quidni Clementissime Princeps Scholas cum Superiores quas Universitates vocant, tum inferiores conservares? quidni omnia impedimenta docentium ac discentium averteres: Sunt sunt Scholæ, in quibus Centauri illi semihomines domantur: Sunt sunt Scholæ, in quibus Cerberi illi tricipites enecantur: Sunt sunt Scholæ in quibus hydræ veneno tumentes ab Hercule

SLUB Wir führen Wissen.
Stadt Görlitz
GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski